









ACTUS HISTORICUS

IN REBUS HISTORICIS

KATOLICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS

IN REBUS HISTORICIS





AD  
ACTVM ORATORIVM

IPSO

SCHOLAE ILLVSTRIS GRIMANAE  
NATALI

D. XVIII. KAL. OCTOBR. A. R. S. CIODCCCXXXIX  
AB HORA IX. MATVTINA

IN AVDITORIO MAIORI

HABENDVM

OMNES MVSARVM FAVTORES ET REI  
SCHOLASTICAE AMATORES

QVA PAR EST

HVMANITATE INVITAT

DE

COMMODIS QVAE CIVITAS GRIMANA  
EX SCHOLA ILLVSTRI IBIDEM ERECTA

PERCIPIT

PRAEFATVS

M. HENR. AVG. SCHVMACHERVS

ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR


VL

---

LIPSIAE

LITERIS BREITKOPFIANIS.





IOANNES GEORGIVS I. Princeps Elector Saxoniae, felicissimus patriae pater, purioris religionis oppressae custos et vindex, regionum suarum amplificator, omni diuinarum animi dotium, ac virtutum maximarum, genere cumulatus, salutis ac felicitatis Saxonicae, post DEVM O. M. stator, quietis ac tranquillitatis publicae conseruator, Musarum praesidium, ac oppressorum refugium, amor et deliciae non suorum tantum populorum, sed totius fere generis humani, fuit. Hunc insignem Heroem eximia rerum gestarum magnitudo, MAVRITIO, et AVGVSTO, gloriosissimis ipsius Maioribus, per omnia parem fecit. Cuius memoriam, aeterna laude et praedicatione dignissimam, renouare, officii ratio postulat. Lucem hanc adspexit Dresdae MDLXXXV. die V. Martii, patre natus CHRISTIANO I. Electore, vere *Christiano*, et matre SOPHIA, IO. GEORGII, Elect. Brandenburgici, filia principe. De patre iam antea diximus. Mater serenissima virtutibus maxime conspicua fuit, quibus singularem et immortalem laudem in Saxonia, et vicinis Germaniae locis, consecuta est. Verae religioni vnice dedita fuit, et diebus illis, quibus in coetu sacro conciones frequentandae, post quartam matutinam surrexit, precibus prius peractis. Prima semper in templo Dei visa est, et omnes pietate superauit, et sermones sacros stando audiuit, vt reuerentiam erga DEI verbum, quod super millia argenti et auri pondera dilexit, ostenderet. Hanc piam matrem Noster, in omni sua vita filiali et debito honore, ac amore, prosecutus est. In memoriam eius numisma cudendum curauit his impressis verbis: *Vt Salomo, sic ego matrem.* Aureos etiam nummos, ex honore et pietate erga hanc matrem, cudendos iussit, hac inscriptione: *maternis precibus nihil fortius.*

Mulleri Ann.  
189.

Progr. XXII.

Lungwitz.  
adm. Saxon.  
52.

Layritz Palm.  
285.

Si





Si illustrius maiorum nobilitas ad commendationem egregiam pertinet, nemini obscurum esse potest, vix ullam gentem inueniri, quae cum serenissima gente Saxonica, vel antiquitate generis, vel rerum gestarum gloria, vel praeclara virtutum fama, comparari possit. Inest aliqua vis sanguini summorum Principum, nec vulgare, aut mediocre ab iis producitur. Exinde non difficile est, de ingenio iudicare, quod IO. GEORGIVS I. naturae munere, fortitudo est. Quos enim DEVS populorum destinavit rectores, eos excelsa mente, et mirifica indole exornat, vt non expectent annos, sed maturiores aetate, a teneris ingrediantur virtutis viam, et ad gloriam, non lento gradu, sed citato cursu, magnisque progressibus, adolecentes adhuc, contendunt. Eiusmodi naturae bonitas ex Principe hoc serenissimo in prima pueritia eluxit, cui, cum reata et prudens accesserit educatio, non potuit non magnum illud prouenire, quod in Ipso, per totam aetatem venerati sunt omnes.

*Büchnerus  
Paneg. 137.*

Parente, CHRISTIANO I. nimis mature defuncto, IO. GEORGIVS, EL. Brandenburgicus, et FRIDERICVS GVILIELMVS, Altenburgicus, id vnice egerunt, quorum curae commissus erat, vt optima hauriret verae pietatis fundamenta, omnibusque, Principe dignis, ornamentis, literarum studiis, et armis, probe excoleretur. Hoc modo verum de Deo sensum, et purum rectumque eius cultum, vitiorum odium, et honesti amorem, eius animo infundendum voluerunt. Ex scientiis, quibus maturior etiam instruitur Principum summorum aetas, Noster Historiam, et Mathesin, praesertim quae ad vsum spectat militarem, percepit. Historia, quae vitae magistra est, ac Principem format, qua arte populus tractari moderate, et prudenter regi debeat, non tam praeceptis docet, quam exemplis probat, et mirifice illustrat. Mathesis futurum instruit militiae Ducem, vrbes et castella communire, aduersus hostium impetus suis consiliis et praeceptis tueri, munimenta hostium arte, et machinis oppugnare, deiicere, euertere, demonstrat. His studiis ita deditus fuit Princeps florentissimus, vt cetera non negligeret; modum tamen in iis, quae pars sapientiae est, ex sententia *Taciti* in *Agricol.* 4. 6. tenendum sibi putauit, ne altius infixae eorum cura ad speculationem raperet aetatem illam, quae publicis negotiis, et magnis rebus gerendis, impendenda erat.

Et quia iuuentutis Principes plerique desiderant, vt peregrinando, exteros mores, et instituta, in aliis regnis spectent, et quae

*Lungwitz  
lib. I. p. 8.*



ad usum sunt, eligant; IO. GEORGIVS anno MDCII. Comitibus ac Ducibus itineris, Rudolpho Vice Domino, et Rudolpho Christophoro aus den Winckel, quibus postea Salsfeldiae adiunctus est, Georgius a Nischwitz, Italiam, Venetias, Veronam, Mediolanum, Romam, Neapolim, Florentiam, Paduam, et alias regiones, perlustravit. Romae Clementem VIII. Papam, indulgentiarum forum aperientem ignoto habitu, spectans, populi simplicitati indoluit, qui emeret care, quod vere poenitentibus gratis datur. Mediolani morbo oppressus Princeps Noster diffidit et periculoso, Medicorum frustra quaesivit operam, praetendentium, eum nondum a confessionariis accepisse veniam. Quin imo receptaculum ei negavit importunus hospes ea de causa. Quare a Sabaudiae Duce Medicos, et multa necessaria petiit, votique sui particeps factus est. Augusta etiam Vindelicorum in subsidium properarunt Medici Principi, de vita periclitanti. Valetudine, Dei benignitate recuperata, Versellis Sabaudum visitavit. Romam haud rediit, licet donis, illo tempore consuetis, a Pontifice Rom. missis, eo invitaretur, domum potius post tredecim menses sibi properandum esse, interserens. DEI igitur altissimi praesidio Princeps desideratissimus ex itinere Augustam Vindelicorum saluus et incolumis venit, et V. Idus Februarii Dresdam rediit, non sine gaudio, et congratulatione serenissimae matris, Viduae, atque serenissimi fratris, CHRISTIANI II. vt et omnium Saxoniae ordinum laetitia, eique reduci, vna cum Electore, multi obviam processerunt. Expertus est in hoc itinere IO. GEORGIVS singularem Dei immortalis providentiam, et praesidium. Sicut enim Deus, bonitate maximus, et potentia optimus, anno MDCII. die XXIII. Iunii, quo tempore periclitabatur Noster, cum fratre CHRISTIANO II. naui vectus in Albis fluuio, in qua pulvis tormentarius incensus, et ipse in vndam se praecipitem dare coactus esset, praesentissimo auxilio, et cura, in magno vitae discrimine, eum saluum et incolumem conseruavit: pari modo eundem Romae, inter Pontificiorum insidias, et Mediolani, grauissimo morbo, vti supra dictum est, laborantem recreauit, et corroborauit. Sic pietate ornatissimae matris, SOPHIAE, precibus maternis, quibus nihil fortius, adiutus est. Nam oratio iustorum est clavis coelorum, si ascendit in coelum, descendit Dei auxilium.

*Weck. Chron.*  
Dr. 141.

*Glassey. Nucl.*  
366.

*Langwitz in*  
*admirand. Sax.*  
P. 72.

Anno



Anno MDCIII. ad capeffendam Epifcopatus Merfeburgici ad-  
miniftrationem euocatus, mense Maio, eius ordines Sacramento  
fibi obftrinxit.

Quod fummis Principibus ac Regibus legitimum matrimonium  
fufcipiendum fit, nemo facile negabit. Qui enim inter eos tori  
genialis expers liberis, haeredibus caret, fubditos in follicitudine,  
et triftitia relinquit, eaque ex caufa propter regiones faepe diffidia  
oriuntur, patriam deuaftantia. Quae probe confiderans Io. GE-  
ORGIVS I. matrimonio fibi iunxit SIBYLLAM ELISABETHAM, Sere-  
niff. FRIDERICI, Ducis Württembergici, filiam. Nuptias celebravit  
Dresdae MDCV. XVI. Kal. Octobr. Haec coniux vera pietate,  
optimis moribus, Principis fummi filia dignis, ornata fuit, inftar  
ftellae matutinae lucens. Sed proh dolor! anno MDCVI. die XX.  
Ianuarii, in ipsis coniugii fuauiffimi primordiis, haec fine prole vi-  
tam caducam cum aeterna commutauit, XXII. annos nata. Itarofa  
illa fplendidiffima, et multis virtutum ornamentis formofiffima,  
morte cecidit praematura: Anno MDCVII. die XIX. Ianuar. ad  
fecunda vota tranfit Nofter, et nuptias cum fereniffima Principe,  
MAGDALENA SIBYLLA, Principis ALBERTI FRIDERICI, Marchionis  
Brandenburgici, et Ducis Boruffiae, filia, Torgae diuino aufpicio  
celebrauit, poftquam cum fratre CHRISTIANO II. Electore, ob res  
grauiffimas, ad Caefarem Rom. profectus, diuino praefidio tectus,  
Dresdam rediiffet. Haec coniux fecunda, pietatis, et omnium fere  
virtutum ornamentis florentiffima fuit, et magno in pretio ab  
omnibus habita, et Domum Saxoniam fereniffimam, numero mul-  
torum Principum, Dei gratia, in lucem editorum, auxit.

*Seligm. vita*  
Io. Georg.  
P. 100.

*Büchm. c. 1,*  
140.

*Müller.*  
Chron. Freib.  
anno 1607.

Anno MDCXI. Mühlufinum, ad conuentum Electorum, pro-  
fectus eft, vt fuam Imperio operam, fidemque Imperatori compro-  
baret; fed praematura morte fratris, Electoris, Dresdam reuocatus  
eft, vt huic fuccederet. Diuina ergo faurice benignitate ad Electo-  
ratus Saxonici culmen et fastigium euectus Io. GEORGIVS, fumma-  
que patriae ordinum congratulatione exceptus eft. Hac dignitate  
ornatus et contentus, mediam femper viam tenuit, etiam in re dif-  
ficili, caufa illa Bohemica. Fratris, Electoris defuncti, pium reli-  
gionis Lutheranae puriorem, et zelum ardentiffimum,  
conferuauit, et amplificauit, et paci publicae, Imperii Rom. faluti,  
et patriae tranquillitati, bene profpexit.

*Layrix Palma.*  
286.



*Müller. An-  
nal. 263.*

RVDOLPHO Caesare MDCXII. defuncto, Vicarium egit in Impe-  
rio Rom. per quinque menses. Susceptionem, Vicariatus publico  
indicauit diplomate, quo RVDOLPHI mortem, et debitam sibi admi-  
nistrationem Imperii significauit. Anno MDCXVII. Dresdam ven-  
nientem MATTHIAM, Imperatorem, cum FERDINANDO, et MAXI-  
MILIANO, Archi-Duce, et *Cleselio*, Purpurato, liberaliter, pariter ac  
splendide excepit.

Sequenti anno MDCXVII. ob inceptae ante seculum, B. D.  
*Martino Luthero*, auctore, Reformationis, siue emendationis reli-  
gionis, memoriam, *Iubilaeum* primum, per triduum; alterum anno  
MDCXXX, quo centum ab hinc annis Augustana Confessio CA-  
ROLO V. Caesari, exhibita fuit, per tres quoque dies instituit. Quod  
pium Pr. Electoris institutum variae Pontificiorum calumniae fe-  
cutae sunt, adeo, vt quidam eorum ad summe Reuerendum D. Hoë,  
praecipuum aulae Saxonicae oratorem, dixerit: *Werdet ihr Luthe-  
rischen ein Jubel-Fest begehen, so wollen wir mit euch ein Kugel-Fest  
halten.* Grammondus, Gallus ille, Pr. Electorem ius indicendi  
Iubilaeum, in aemulationem Iubilaei Pontificii, sibi arrogasse, falso,  
et sine omni ratione, asseueravit. Tertium Iubilaeum in memori-  
am pacis religiosae MDCLV. die XXV. Septembr. itidem solempni  
cultu celebravit in omnibus prouinciis. Elector ergo noster or-  
namentum et columna, post Deum, Ecclesiae Lutheranae, mira, et  
Saxonica omnino constantia, in mediis bellorum motibus decla-  
rata, permultos alios Principes in sui exemplum traxit, eorumque  
animos, quos tandem belli, et calamitatum, diuturnitas fregisset,  
egregie confirmavit. Constantiam eius in vera, et puriore reli-  
gione, aurea *Pupilla Evangelica, et defensio, eius libri*, a praecipuis et  
piis Doctoribus Theologis, eius mandato confecti, et typis im-  
pressi, satis testantur, et demonstrant, puriorem doctrinam, Augu-  
stana Confessione comprehensam, ad instar pupillae, illi curae cor-  
dique fuisse. Quae omnia, singulari Dei protectione confecta sunt,  
quae *Lunguizius* merito inter admiranda diuina Saxonica refert.

*Evangelischer Aug-  
apfel.*

Lib. 2. p. 45.

Anno MDCXIX. d. X. Martii, extincto MATTHIA, Imperatore,  
Vicariatu Imperii, summa iterum cura vsque ad diem XVIII. Augu-  
sti fundus est Noster. Oblatam sibi, per Comitem Schlickium, hac  
aetate a Bohemis coronam repudiauit, qui anno praecedente in  
conuentu Prageni, reiecti FERDINANDI, Regis, legatos, Guilielmum  
Slabatam, Martinicum, Comitem, et Secretarium, Fabricium, de  
fenestra



fenestra arcis praecipitauerant. Inter hos motus, cum antea, MATTHIAS Caesar, FERDINANDVM, agnatum suum, Bohemis Regem designasset, quem vero illi reiecerant, tanquam iniquiorem libertati futurum, FRIDERICVM Palatinum Electorem sibi Regem illi elegerunt. Postquam vero FRIDERICVS hic, Vnionis caput, a coniuge sua, et aulae ministris, gloriae cupidis, instigatus, regium in Bohemia honorem suscepisset, infelici pugna in monte albo confecta, priuatus est Electoratu Palatino, et proscriptus. Et licet Io. GEORGIVS in neutram procliuus esset partem, in conuentu tamen Mülhufino, causae motus iustitia, Caesaris partes complexus est, quamvis ipsum, Hassiae Landgrauius, *Mauritius*, dehortaretur. Lusatiam inde MDCXX. aggressus est, quam prouinciam vicinam pacis potius legibus, quam sanguine subiugaturus erat, Budissae conuentum indixit, atque ordines admonuit, vt Caesari obedirent. Lusatia breui subacta, in Silesiam contendit Noster, et sequenti anno Vratislaviae ordines, Imperatoris nomine, in fidem ac clientelam suscepit. Consilium Imperatoris R. improbauit primo, quem de FRIDERICI Palatini restitutione frustra sollicitauerat, cum in MAXIMILIANVM, Bauariae Ducem, Electoratum transferre Palatinum meditaretur, eaque de causa Comitia Ratisbonae indicta, anno MDCXXXIII. non frequentauit. Imperator R. LVDOLVICVM, Landgrauium Hasso-Darmstadiensem, ad Electorem nostrum ablegauit, qui tandem effecit, vt Electoratus huius translationem approbaret. Dolebat tamen maxime, quod sua monita haud obseruata fuerint.

Anno MDCXXVIII. edictum exiit Imperatoris R. de restituendis bonis ecclesiasticis, Episcopatibus scilicet, Magdeburgensi, Misnensi, Merseburgensi, et Naumburgensi, multisque aliis in Germania, quos maximam partem Protestantes Principes, in pios conuerterant vsus. Cum vero frustra hoc Elector Noster deprecaretur, et Ligistarum insolentia non parum premerentur multi Protestantes, Io. GEORGIVS conuentum Electorum Principum, ac ordinum indixit Lipsiae, MDCXXX. vbi de vi repellenda, et Augustanae Confessionis doctrina, aduersus omnem impetum defendenda, ac de armaturae ratione actum est, in Caesarem vero nihil hostile machinari Principes, simul promissum est. Acta Lipsiensia ad Caesarem missa sunt, sed nihil impetrarunt Principes, quin potius mandatis praestare obsequium denuo iussi sunt. Hinc, expugnata iam vrbe Parthenopoli, et Tillio Saxonicas prouincias, et Lipliam occupante,

*Gross. Chron.*  
Luf. ad hunc  
annum.

*Seligm. vit.*  
Io. Georg. I.



Weck. Chron.  
Dr. 148.

pante, foedus cum Suecorum Rege, GUSTAVO ADOLPHO, quod adhuc constanter renuerat, pepigit Io. GEORGIVS. Mox pugnam suavit Elector suis timens prouinciis. Rex Sueciae periculum proponebat, de Electorum, Brandenburgici nempe et Saxonici, corio ludi. Permanfit vero in sententia Noster, Rege praelium quasi detrectante. Solus ergo contra hostem pugnare, et praelio de summa rerum decertare voluit. Itum igitur, coniunctis copiis, Lipsiam est, victoriam praefagisse fertur candida vexillo cuidam infidens columba. Conferta manu, Sueci in sinistro cornu victores; Electoris vero exercitus, copiis hostium multo inferior in fugam coniectus. Elector ipse celerrimo gradu Ileburgum se receperat. Cum vero Rex, fugam fociorum animaduertens, alias subinde copias hosti obiiceret, tandem hic cedere, et Regi victoriam relinquere coactus fuit. Elector Ileburgo reuocatus Lipsiam recuperauit. Post haec Caesarios Lusatia eiecit Noster, Praga, et Leutomericio, vrbibus in Bohemia, in potestatem redactis, multa in Silesia oppida, et loca occupauit. Eo quoque profectus Saxonis Dux, *Arnhemius*, Lubenam et Glogauiam expugnauit. Et cum Caesariani Vratislauiam se recepissent, potitus est cum copiis Brandenburgicis Saxo Basilica, pullosque Sacerdotes muneribus sacris restituit. Wallensteinius, postquam Lipsiam oppugnauerat, suo cum exercitu ad *Luzenam* confedit. Magna igitur celeritate Rex Sueciae rediit eo. Die VI. Nouembris vero, summo mane nebula totum coelum operiente, egressus est speculatum GUSTAVVS ADOLPHVS, Rex, omni laude superior, anno MDCXXXII. sclopetorum vero ictibus interfectus est. Praelio tamen nihilominus commisso, diuino auxilio, et ope, et BERNHARDI Saxoniae Ducis virtute insigni, hostes terga vertere coacti sunt, et Lipsia Electori reddita est. Sequente anno ad Lignicum Caesarios profligarunt Electoris copiae, vrbes, Budissiam, Zittauiam, et Goricium, recuperantes. Anno MDCXXXIV. caesis ad Nördlingam, cum BERNHARDO Vinariensi, Suecis, Imperator R. legatis Dresdam missis, pacem cum Io. GEORGIO tractare coepit. Hi legati Pirnae in Misnia, pacis conditiones, ad componendum bellum, contulerunt. Mox copias suas ex Bohemia reuocauit Noster. Tandem Pragae, publicatis MDCXXXV. pacis conditionibus utraque Lusatia iure haereditario Electori promissa. Exstat distichon in hanc pacem compositum:

Praga



Praga atrox orbi, quae protulit impia bellum,  
Quo pacto pacem redderet illa bonam?

Praeterea Elector Iüterbogum, Dahmam, Querfurtum, et Borck, item Magdeburgensem Episcopatum postea accepit. Suecis vicies-quinquies centena millia nummorum pro belli sumptibus, et opera praestita, obtulit. Sed cum Sueci hanc pecuniae summam reiicerent, pacemque Pragensem reprobarent, bellum in eos Elector decreuit. Sueci, victores facti, parabant Saxones vlcisci, et Duce *Axelio Oxenfirna*, regni Cancellario, magnae prudentiae, nec minoris virtutis viro, grauiissimam calamitatem patriae intulerunt. His tam grauibus permotus causis Io. GEORGIVS amicitiam cum Aultriaca Domo tandiu distulerat, donec religioni, et libertati, pace Pragensi inita, fatis cauisset. Dolebat quidem, pro illo, quo complectebatur patriam, affectu, quod externis militibus Germania vna cum Saxonia, per plures annos diripienda fuisset. Hinc omni consilio, et opera curabat, Caesaris animum flectere, vt de pace cogitaret. Metuebant scilicet Imperator, pariter, ac Elector, Io. GEORGIVS, moram belli magis, quam ipsum bellum, et inde vtrique melius videbatur, pactione etiam temporaria, illud exstingui, quam vltcrius ferro et igni Germaniam et Saxoniam in discrimen adduci. Conuentum itaque est, vt *Edicti Restitutorii* vis suspendetur, ipsi Electori Lusatia ad compensandas impensas, in bellum factas, concederetur, et communi ita opera pax desideratissima Germaniae procuraretur. Existimant nonnulli, illique sagaciores, si legati Saxonici plura ad reparationem damni in pace postea Westphalica postulassent, et acriores priuato commodo, quam publico, institissent, Magdeburgum, et Halberstadium, iis procul dubio, obuensse. Sed nimio erga patriae tranquillitatem abreptus amore Elector, publicis spoliis locupletari noluit, religioni sibi ducens, si, vtilitatis suae gratia, Germania laceranda, ac diutius hostibus expugnanda, maneret. Hanc pacem quamuis Sueci, et alii in scriptis suis accusauerint; nemo tamen malae fidei postulauerit, qui rationes fatis arduas Electoris cognouerit, de quibus conferendus *Pufendorfius* libro VI. rerum Suecicarum. Legendae quoque sunt Vindiciae pacis Pragensis, quae tum temporis prodierunt. Si enim statum rerum illis temporibus respicias, Nordlingenfi clade accepta, deuaftario Saxoniae, per arma Suecica, alia ratione declinari haud poterat, quam si, illorum partibus relictis, Caesaris ex-

*Gioannus*  
in Saxon.  
princ. p. 79.





ercitus, Saxoniae vicinus, redderetur amicus. Bellum ergo, quod defensionis necessitate coactus susceperat, eadem conseruationis, suae necessitate motus, deliberata pace, mutauit. Quantum verò Imperator pace hac, cum Electore inita, profecerit, neminem fugiet, qui historiam illorum temporum nouerit. Ipse FERDINANDVS II. pace confecta, confessus est: IO. GEORGIVM I. *honeste moderatone iram temperasse, et non modo se amicum Caesaris, sed Domui Austriacae patrem exhibuisse*, id quod celeberrimus *Schurzfleischius*, in Dissertatione de FRIDERICO III. Sapiente, confirmat. Bohemia, quae excursionibus Saxonum, et Suecorum antea exposita fuerat, nunc securior erat. Mutata hac rerum facie post pacem Pragensem, Sueci, hostes, Duce *Bannerio*, prosequabantur Saxones, quos foederatos antea adiuuerant. Grimensis vrbs etiam hac temporum difficultate, vim et ferrum Suecorum experta est, qui cum facibus domos adire audebant. Sed DEVS his malis imminentibus interueniebat, et sacrorum Grimensium Antistitem, Maxime Reverendum, D. ANDREAM CVNADVM tum temporis excitabat, vt ad pedes Ducis Suecorum, *Königsmarckii*, qui de vrbs incendio cogitauerat, se supplicem proiiceret, et precibus suis non tantum periculum vrbs auerteret, sed etiam remissionem ex tributo, incendii comminatione imperato, obtineret, ita vt hostes iracundiam cohiberent, et scholae quoque prouinciali securitatem et quietem concederent. Quas impensas per hos annos ipse Elector noster ad subleuandum Caesarem fecerit, quot hostium impetus, quot incendia, et deuastationes sustinuerit, et quam intrepido animo Suecorum pollicitationes, quibus illius fidem Imperatori R. datam, sollicitare conabantur eluserit, *Pufendorfus* in historia *Gustauu Adolphi* commemorat.

Tandem fessa malis suis Germania pacem exoptauit, quae uero tam facile, tot habitis conuentibus, confici non poterat. Hamburgi demum de loco deliberatum, et constitutum est, vt Osnabrugae cum Suecis, et Monasterii, cum Gallis, ageretur. Quod igitur tot votis expetitur fuerat, mense Octobri MDCXLVIII. Imperatori R. cum Galliae, Sueciaeque, Regibus, et Imperii ordinibus, et inter se, et inter Imperatorem, certis pactis conuentum est, quae publicis tabulis conscripta in manibus nostris versantur. Quod omnibus hominibus laetum erat gratumque, id INNOCENTIVS X. Pontifex R., Bulla euulgata, inique ferebat. Sed nulla auctoritatis Pontificis R. ratio a summis Principibus habita fuit.

Anno

vid. Chron.  
MSt. Grim.  
ad an. 1644.

p. 604.





Anno MDCL. exulibus Bohemicis Dresdae, in suburbio Pirrensi, templum attribuit Elector, eique Sacerdotem constituit. Oppidum quoque in finibus Bohemiae exules hi, ex concessione Electoris, erexerunt, a nomine Principis serenissimi, illud *Iohann Georgen-Stadt* appellarunt.

Paucis ante obitum annis ultimam suam voluntatem Testamento configaandam curavit, in quo testamento *Giouannus* citatus desiderat, quod multa verba ab ambiguitate non sint scripta libera. Legitur. vltima haec voluntas apud *Glasinum* in Hiltoriae Saxonicae Nucleo.

In Germ. Pr.  
934.  
p. 48.

Senio, et multis curis pro salute Reipublicae et patriae inprimis, confectus, anno MDCLVI. die VIII. Octobris, hora V. pomeridiana Dresdae, placida morte diem obiit supremum, natus annos septuaginta duos, et egregiam in ornanda, et conseruanda Germania laudem assecutus est, quae apud posteros eius, et exteros etiam, admirationem merito excitauit. Omnibus enim et singulis ab hoc Pr. Electore rebus gestis, memoratu dignissimis, et meritis plane eximiis, quae Imperio Rom. et patriae, praestitit, commemorandis, vix vnum volumen, nedum leues pagellae, sufficient. Freibergam corpus exanimum delatum, in Maiorum monumento reconditum est.

Seligm. in  
vit. Io. Georg.

Müller. Chr.  
Freib. p. 189.

Ex posteriore, cum MAGDALENA SIBYLLA, Brandenburgensi, matrimonio prolem, diuina gratia, suscepit numerosam, sex Principes filios et tres filias, item nepotes LI, et pronepotes XXIX, quorum plurimos adhuc viuus vidit. *Layrizius* hanc felicitatem, nulli Principum Saxoniae antea contigisse, confirmat. Filius natus maximus fuit Io. GEORGIVS II. Elector factus post obitum patris, de quo fortasse in posterum, si Deus voluerit, agendum. Post hunc AVGVSTVS, quem Collegium Canonicorum, in Archiepiscopatus Magdeburgensis administrationem elegit, inuitis licet multis, qui a Caesaris stabant partibus. Hunc secutus CHRISTIANVS, qui Merseburgensis Episcopatus Administrator declaratus est, simulque Lusatae inferioris partem obtinuit. Quartus filius, MAVRICIVS, Naumburgensis, et Citicensis Episcopatus Administrator factus. Duo Principes mature, in florentissima aetate, defuncti sunt. Filia prima, SOPHIA ELEONORA, serenissimo Landgrauio Hasso-Darmstadiensi, GEORGIO, in matrimonium data. Secunda, MARIA ELISABETHA, Duci Holsato-Gottorpiensi,

Palm. p. 288.  
v. *Glasfey*  
Nucl. H. S.  
405.  
Weck. Chron.  
Dr. p. 172.





FRIDERICO, nuptui collocata. Tertia MAGDALENA connubio, serenissimo Danici regni haeredi, CHRISTIANO, postea Regi, V. iuncta fuit.

Vidua Electoris nostri MAGDALENA SIBYLLA, quae quinquaginta annos cum eo in matrimonio vixit, mortua est Dresdae anno MDCLIX, die XI. Februarii, et annos septuaginta duos compleuit.

Symbolum, quo saepius vsus est Io. GEORGIVS I. fuit: *Scopus vitae meae* CHRISTVS. Ex quibus verbis poeta felix, M. *Christianus Reimannus*, Rector Scholae Zittauensis, cationem composuit, nemini non gratam et iucundam.

Plura omnino de laudibus, et praeclaris rebus gestis, huius Principis praedicari, et commemorari possent; quae vero, ob temporis angustiam, hic praetermittenda. Potiora adhuc proferent iuuenes sequentes modesti et diligentes in Confessu Virorum amplissimorum, orationibus, omni studio elaboratis:

AVGVSTVS SIGISMVNDVS OPITIVS, Grimentis, *De Constantia* Io. GEORGH I. *in puriore doctrina Evangelica*, verba faciet, sermone Lat. in prosa.

SAMVEL SCHMIDIVS, Krippelna Misnicus, *Felicitatem* Io. GEORGH I. *extollet*, quod in regimine suo tria Iubilaea solei ritu celebrare potuerit, sermone patrio, annexa breui valedictione.

IO. GOTTLÖB REICHARDVS, Radissenis Saxo, *De virtute bellica* Io. GEORGH I. *in grauiissimo bello tricennali, cum prudentia coniuncta*, aget, Latine in prosa.

CHRISTIANVS GOTTHELF POLENTIVS, Rochlicensis, *praedicabit*, quod Io. GEORGIVS I. *pacis publicae, et salutis patriae, semper studiosus fuerit*, Latine in prosa.

CHRISTIANVS GOTTLÖB HEYDERVS, Zschirlensis Misnicus, *demonstrabit*, quod cura et praesidio Io. GEORGH I. *haec schola illustris Grimana, non sine Dei nutu, in medijs belli tricennalis motibus, sit conseruata, et cura serenissimi Regis Pol. et Pr. El. Saxon. AVGVSTI III. sine periculo, adhuc conseruetur*, Carmine Germanico.

Quos oratores, vt omnes Musarum amatores beneuole audiant. enixe rogamus. P. P. d. XVIII. Kal. Octobr. 1757.







Gymna, Diss., 1733-75

ULB Halle

008 306 877

3



56

1018







AD  
MORATORIUM

14

IPSO  
E ILLUSTRIS GRIMANAE  
LI DIE XVIII. KAL. OCTOBR.

1757

A. R. S. CIOIOCCLVII.  
S SACRIS MATVTINIS  
AVDITORIO MAIORE  
E IUVENIBVS ORATORIBVS  
INSTITVENDVM  
I HVMANITATE  
INVITAT  
DE

O I. PR. ELECTORE SAXON.  
ATRIAE OPTIMO SINGVLARI  
NIS PROVIDENTIA IN MVLTIS  
ET GRAVISSIMIS TEMPESTATIBVS  
BELLICIS CONSERVATO

PRAEFATVS  
AVGVSTVS SCHVMACHERVS  
VSTRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE  
S BREITKOPFIANIS.  
XXIV.

